Α καὶ Ω!

NOtatu digna confessio est, quam B. Basilius, in recessu vivens ascetico, de semet ipso edere non dubitavit, in epistola insigni ad Gregorium Nazianzenum, & quidem haud multùm ab initio ajens, quod sese pudeat scribere, quæ nocte & die in sua faciat solitudine; quod relinquens urbis conversationes, tanquam innumerabilium malorum occasiones, SEIPSVM NONDVM RELINQVERE POTVERIT, similis ex nave in lembum aut scapham ob navigandi imperitiam transeuntibus, qui tamen ubiq; nauseent & animo frangantur; quodq; perturbationes domesticas circumferens in iisdem ubiq; tumultibus versetur, neq; multum commodi ex ista solitudine sit consecutus. Ingenua vero, ad amicum exarata, de statu animæ, vitam monasticam depereuntis, hæc confessio, ac latitans sub ea propriarum infirmitatum agnitio est. Neq; enim fieri ullo modo potest, ut seipsum rite abneget, deserat, imò decenter oderit, abominetur, execretur, qui seipsum nondum penitissime agnovit. Frustra jactitatur ac venditatur vera coram Deo humiliatio, ubi spiritus arrogantiæ tumet, & ex nullis non gestibus, dictis factisq; conspicitur. Ecquî enim hunc abnegaverit, amabo, qui ab eodem est victus occupatusq;? Frustra charitatem erga proximum crepat lingua, si merum odium ac pertinax dissidium nutriunt opera. Frustra gloriamur injuriarum, ab aliis illatarum, tolerantiâ, si minima quaq; re offensi plumbeas concipimus iras, & in maledicas omnino voces ebullimus. Hoccine erat semetipsum abnegare ac diligere inimicos ex regula Christi? Excogitare omnia, ad lædendum proximum, rationibus nostris obversantem, facientia, tam procul abest à genuina & Christiana ejusdem dilectione, ut potius Ethnicam nostri ipsorum adorationem arguat.